

tis illi, qui ab Athenaeo, Hephaestione, aliisque, laudantur, pleni sunt omnibus orationis Ionicae vestigiis. Haec vero quum fere nusquam compareant in iis odariis, quae a Stephano emissa sunt: quis non recte dubitet de antiquitate eorum? quis sibi persuadeat, ea esse ab Anacreonte composita? praesertim quum in multis eorum legantur eiusmodi verba, quae ignorauerit aetas Teii senis;<sup>19</sup> multis verbis eiusmodi significatus tributi reperiantur, qui iis tributi fuerint post eius tempora.<sup>20</sup> At in primis venusta, inquies, et dulcia, et lepida, sunt haec odaria: qua virtute, et dote, excelluisse Anacreontis carmina, scriptores antiqui omnes, vno consensu, tradiderint.<sup>21</sup> Ego quidem non ignoro, Anacreontem laudari a veteribus, ut auctorem, et parentem, omnis leporis, et venustatis, carminum eroticorum, et symposiacorum: neque me fugit, Ludou. Christi. Crellium, popularem meum, virum de rebus academiae Lipsiensis non minus, quam de scholae Nicolaitanae rationibus, praecclare meritum, conatum esse persequi, peculiaribus libellis, partes venustatis singulas, quam reperisse sibi in his odariis visus esset.<sup>22</sup> At primum haec virtus sola quomodo possit Anacreontis ingenio vindicare haec carmina, non video, quum multi recentes poëtae potuerint sua huius generis poëmatia eodem distinguere lepo-

19. V. c. ἡ κάρα odar. 36, 9.:  
 ἀτελίζω odar. 45, 10.: πείραν ποιεῖν  
 odar. 53, 11. De usu nominis βό-  
 τρου v. Athen. 14, 19. p. 653. B, et  
 ibi Casaubonus p. 930.

20. V. c. μεσονύκτιοι ὄραοι odar.  
 3, 1.: σηκοὶ odar. 5, 13.: δωριάζειν  
 odar. 10, 6.: ἐκβοῆσαι odar. 33, 19.:  
 ἀνάγκαι odar. 36, 2.: ἄσπε odar. 9,  
 9.

21. Vid. Gellius NN. AA. 19,  
 9.

22. Horum libellorum primus,  
 qui inscribitur, περὶ χαριεντισμῶ

Ἀνακρέοντος, seu de eo, quod in  
 Anacreonte venustum, et delicatum,  
 est, exiit Lipsiae A. C. 1706. 4.:  
 defensus publice a dubitationibus,  
 reprehensionibusque, eruditorum  
 hominum a Christi. Frider. Vili-  
 schio.: quem tamen an sequutus  
 esset alter, nesciebamus. Vnde  
 Ioh. Christi. Henricus V. C. Leu-  
 coreae A. C. 1791. 4. edidit Prolu-  
 sionem elegantem de Charientismo  
 Anacreontis ad Demetrii Phalerei  
 disciplinam expenso.